

plici lumine, et unito procedere, de quo videri potest id quod citat D. Thomas in hac quæstione LVIII, art. III.

IX. Unde deducitur secunda pars conclusionis, videlicet quod si hoc fundamentum D. Thomæ aliquid valet (et multum valere ostensum est) etiam probat quod in nullo eventu potest Angelus discurrere, nec circa supernaturalia, nec circa ea quæ conjecturaliter, aut obscure cognoscit: in omnibus enim non mutat Angelus modum cognoscendi a sua superioritate ad nostrum infimum, et imperfectum modum, sicut homo si per intellectum cognoscit, quantumcumque imperfecte, et ruditer se habeat, nunquam dejicitur ad hoc ut intellectus modo brutali cognoscat, id est, per instinctum, et determinationem, non per arbitrium, et discursum. Unde D. Thomas perpetuo hoc agnovit, et absolute, et pro omni casu docuit Angelum cognoscere sine discursu, et in specie loquendo de his quæ Angelus naturaliter non cognoscit, et de his quæ conjecturaliter, sicut sunt cognitiones cordis ex aliquibus signis sensibilibus, vel de cognitione causarum in effectibus, manifeste docet omnia ista cognosci ab Angelo sine discursu, ut patet in quæstione VIII de veritate, articulo XV ad II, et ad IV, et ad VI, ubi circa ista objecta ponit argumenta ad probandum quod Angelus cognoscit illa per discursum, et tamen solvit illa.

Et ratio est, quia loquendo de rebus supernaturalibus illarum cognitio non destruit modum connaturalem cognoscendi, sed perficit, et elevat: ergo per hoc quod Angelus accipit cognitionem supernaturalem, non imperfectitur, nec deprimitur ad modum inferiorem, qualis est modus cognoscendi humanus per discursum, quia gratia non des-

truit, neque deprimit naturam sed perficit, et elevat. Unde vel datum superiorem cognoscendi, sicut visio beatifica, et tunc multo minus in illa discurritur, vel relinquit modum connaturalem cognoscendi, et non tollit illum, sed elevat ad altiorem ordinem, et tunc etiam Angelus non discurret: nunquam vero gratia deprimit naturam ad ordinem inferiorem quia de se est immaterialior, et elevatior, quam natura; et sic ad minus non imperficit modum ejus connaturalem: esset enim absurdissimum quod per gratiam, et ordinem divinum fieret Angelus deterior, et ad inferiorem modum cognoscendi, scilicet ad modum humanum deprimeretur. De his vero quæ Angelus conjecturaliter, et non quidditative cognoscit, etiam sine discursu judicat de illis, quia in ipsis signis, vel effectibus, aut quibuscumque exterioribus, ex quibus sumit conjecturam, statim ipsis cognitis, videt Angelus ad quid, et quantum se extendant, quia quædam manifestant plene, et quidditative per necessariam, et evidentem connexionem, quædam vero conjecturaliter, quia solum habent connexionem contingentem, et istas connexiones sine aliquo discursu cognoscit Angelus visis effectibus seu signis, in quibus continentur, sed quia tales connexiones aliquando non plene manifestant aliqua, quia solum contingenter cum illis connectuntur, ideo solum ex talibus objectis accipit conjecturalem notitiam, seu iudicium sine ullo tamen discursu, sed simplici intuitu videndo illam connexionem contingentem, sicut sine discursu videt connexionem necessariam cum eo cum quo habet illum. Unde sicut respectu eorum cum quibus habent connexionem necessariam, non fundant illa objecta discursum in Angelo, quia in ipsa simplici no-

titia objecti cognoscit connexionem illam ut necessariam, et consequenter ut demonstrantem rem connexam, ita respectu eorum cum quibus habent connexionem contingentem manifestant illa objecta ea quæ sic connexa sunt sub eadem connexionem contingenti, et hoc est conjecturaliter solum cognoscere rem illam, sed sine discursu, sed unico et simplici lumine penetrante istas connexiones. Non autem dici potest quod ex debilitate sui luminis Angelus conjecturaliter procedat, ut scilicet ubi est necessaria connexio veritatum, et per se Angelus infima, et probabili solum ratione procedat, id enim esset non procedere lumine perfecto, et comprehensivo naturarum, per species perfectas, et exemplatas ab ideis divinis, quæ manifestant, et repræsentant res ut sunt, id est, ut derivantur a Deo.

X. Nec dici potest sufficere ad perfectionem intellectus Angeli, quod illi competat habere statim a principio omnes suas perfectiones in actu primo, non autem oportere quod statim a principio habeat illas in actu secundo, alias haberet Angelus semper in actu secundo intelligere omnia quorum species habet, quod esset intelligere multa ut multa, quod negat D. Thomas in hac quæstione LVIII, art. II, et illa dicuntur intelligi ut multa quæ intelliguntur per plures species. Si autem non est necesse quod Angelus sit in actu secundo quoad omnem suam perfectionem, nec etiam est necesse quod semper intelligat comprehensive, et in actu omnia quæ pertinent ad suas species: ergo poterit de uno procedere ad aliud tamquam de potentia ad actum. Adde secundo quod Angelus potest uti specie sua inadæquate, et non secundum omnia quæ repræsentat, ut S. Thomas docet quæstione VIII de veritate, art.

XIII ad II. Hac enim ratione probat, quod etiam si unus Angelus videat speciem, quæ est in altero Angelo, non tamen videt quomodo utitur illa, quia potest varia, et diversa cognoscere ex una specie: ergo non semper utitur illa adæquate: ergo neque comprehensive: ergo potest uti discurrendo, cum scilicet ex una re cognita per illam speciem transit ad aliam in eadem specie repræsentatam. Et hoc urgetur exemplo scientiæ infusæ animæ Christi per quam poterat Christus Dominus discurrendo cognoscere, si vellet ut docet S. Thomas III p. q. XI, art. III, et ibi communiter Thomistæ, solum per hoc quod poterat uti inadæquate illis speciebus infusis, et unum deducere ex alio, licet omnium notitiam haberet, et nihil illum late-ret: ergo non requiritur ad discursum quod procedatur ad aliquid ignotum, et occultum ex aliquo notiori, sed sufficit uti speciebus repræsentantibus omnia inadæquate, et unum ex alio deducendo etiam intra eandem speciem, videlicet utendo illa specie quoad unum objectum inadæquate, et ex illo procedendo ad aliud objectum partiale ejusdem speciei. Non est ergo id denegandum Angelo. Denique, in exemplo corporum cælestium quo movetur D. Thomas ad asserendum quod Angeli non acquirunt perfectionem suam per motum, potius oppositum apparet: nam etsi corpora cælestia non acquirant perfectionem suam per motum augmentationis suæ, vel alterationis, bene tamen per motum localem, quo moventur, et perficiuntur ad immutandum hæc inferiora: sine motu enim nihil in his inferioribus generaretur: ergo non habent totam perfectionem suam ab initio, sed per motum, licet non per omnem motum, sed per localem.

XI. Ad primam respondetur, quod

non est necesse quod Angelus habeat in actu secundo omne quod est in ipso in actu primo, ideoque convenit ei habere discursum successivum, hoc est diversa successive intelligere, et successive diversas operationes habere: non tamen competit habere discursum secundum causalitatem, neque hanc perfectionem ita acquirere quod acquirat illam transeundo de noto ad ignotum per distinctum lumen, sed simplici motu aut actione eam habendo, sicut etiam corpora cœlestia diversis actibus in hac inferiora influunt, v. g. diversis illuminationibus, vel aspectibus, et hoc ideo, quia Angelus petit habere operationes in actu secundo limitate, limitatione se tenente ex parte objecti: actiones enim penes objecta limitantur, seu specificantur. Unde cum possit operari circa diversa objecta, oportet quod etiam possit habere diversas operationes, et non omnes simul. Cæterum in habendo unamquamque operationem, et perfectionem ex illa provenientes, scilicet attingentiam veritatis, petit non procedere de potentia ad actum, et de imperfecto ad perfectum, quod est procedere per motum, sed illam operationem perfecte habere, quia comprehensive, et statim attingere totam perfectionem, quam potest per quamlibet operationem. Itaque non habere plures operationes aliquam potentiam creatam non est perfectio, quia limitata potentia limitatas petit operationes; unde si non haberet nisi unam, imperfecta maneret, quia non omnia objecta complecteretur, et hæc divisio operationum non provenit ex debilitate luminis circa idem objectum penetrandum, vel circa connexionem objectorum, sed ex limitatione potentiæ non valentis unico actu omnia complecti, præsertim quando ordinatur ad plura objecta, et potentia est ita ampla

quod potest in infinita syncategorematicè, necesse est multiplices esse operationes, quia penes objecta specificantur, et limitantur; et sic non debet habere omnem suam perfectionem simul, et unica operatione, quia non potest, nec nisi divisim, quia multas operationes, seu omnes habere non potest simul, sed successive, et sic discursus successivus, hoc est multiplex operatio in intelligendo Angelis attribuitur. Cæterum respectu unius objecti, et unius intelligibilitatis fundantis de se connexionem ad ea quæ sibi conveniunt, procedere de potentia ad actum, et de imperfecto ad perfectum, ita quod non possit vinci tota difficultas, et intelligibilitas objecti plene attingi unica operatione, sed necesse sit plures adhibere, hoc imperfectionis est in tali natura operante, et oritur ex debilitate luminis non comprehendentis, et de hoc procedit S. Thomas quando eam negat supremis, et perfectis intellectibus quales sunt angelici, ideoque ab eis removet discursum.

XII. Ad secundam dicimus quod uti aliqua specie inadæquate, et non quantum ad omnia quæ repræsentat, potest stare dupliciter. Uno modo dividendo ipsum lumen, ita quod non attingatur utrumque objectum simplici tendentia ejusdem luminis, sed unum per se, et immediate, aliud non per se, sed ex illatione, et connexionem ad alterum eliciendo, ex tali specie lumen quoddam illativum, et non eodem simplici utendo pro utroque objecto, et ad hoc dividit illam speciem, seu inadæquate illa utitur, non solum ut dividat conceptus seu cognitiones, unumque cognoscat prius, aliud post, sed etiam dividit lumina, ut unum cognoscat lumine simplici, aliud lumine illativo, et ex vi connexionis ducendo notitiam. Alio modo potest intellectus uti inadæ-

quate aliqua specie solum ut dividat cognitiones seu conceptus circa diversa objecta, non vero dividat lumina, modumque cognoscendi, ita ut unum cognoscat simpliciter in se, aliud illative, et in vi connexionis, sed utrumque simplici lumine, licet pro sua voluntate dividat cognitiones, applicando modo speciem uni cognitioni, seu objecto tantum, et postmodum alteri, non tamen unum deducendo ex altero, et in vi ipsius deductionis cognoscendo. Igitur Angelus non potest uti inadæquate specie sua primo modo, sed secundo: potest enim ex multis objectis, quæ in una specie repræsentantur accipere unum, et relinquere aliud; et sic non omnia intelligere quæ per illam speciem repræsentabilia sunt, sed tantum aliqua vel aliquod, non tamen potest mutare modum intelligendi, et alio lumine intelligere unum objectum, alio aliud, ita ut unum intelligat per se immediate, aliud illative, seu lumine illativo, et per modum connexionis, et illationis manifestativo, non simpliciter; sed si prius unum objectum tantum cognoscit de repræsentatis per illam speciem, et postmodum aliud; hoc secundum non illatione manifestat, sed simplici visione, sicut prius ex eodem lumine deducta, licet inadæquate utrique objecto applicetur species, et lumen illud, sicut si unum luminosum uno, eodemque lumine modo illuminet has partes, modo illas, quia diversa applicatio ejusdem luminis est, non diversum lumen derivando unum ex alio, unum quod sit simplex, aliud illativum, et per consequentiam illuminans. At vero in scientia infusa animæ Christi si aliquando discursu utebatur, licet per illas species omnia sibi essent manifesta, et cognita; ideo erat quia ita temperabat illas species, quod unum objectum cognoscebat sim-

pliciter, et aliud ex vi connexionis, et illationis. Quod quidem recte poterat facere Christus Dominus, quia illæ species licet essent infusæ, et possent repræsentare sine discursu propter elevationem sui luminis, tamen quia attemperabantur subjecto in quo erant, scilicet animæ rationali, et discursivæ, utroque modo poterant manifestare, et quoad usum subijci ipsi intellectui, et taliter ei manifestare unum objectum quod possent aliud manifestare ex vi luminis illativi, et perinde ac si esset in se ignotum, et latens, sicque poterat intellectus ex illis speciebus lumen illativum educere, eo quod licet essent infusæ, erant tamen magis divisæ seu multiplicatæ minusque universales, quam species angelicæ, ut eadem quæstione XI docet S. Thomas, art. IV. Unde fuerunt magis aptæ ut illos temperaret ad discursum, eliciendo ex eis lumen illativum, et non sistendo in lumine simplici manifestativo utriusque objecti, sed ita inadæquate utendo specie quod divideret lumina, et unum objectum attingeret per se, et immediate, aliud non, sed lumine illativo ex illis speciebus educto, licet etiam possint immediate utrumque objectum repræsentare, et simplici lumine attingere propter elevationem talis luminis, et specierum.

XIII. Ad tertiam respondetur similitudinem inductam a D. Thoma de corporibus cœlestibus comparatione ad Angelos optime tenere quoad id pro quo adducitur: non adducitur a D. Thoma ad probandum quod aut illa corpora debeant carere omni motu, aut illi spiritus omni successione, et pluralitate actuum, vel etiam omni motione superioris causæ, ad quam sunt in potentia: sed solum probat carere debere omni motu perficiente, aut augente eorum actualitatem, aut integrita-

tem, sicut per motum augmentationis nos perficimur in his in quibus integramur. Itaque quodcumque perfectio debita, seu quidquid debitum est, et haberi potest per motum et successive acquiritur, hoc ad imperfectam naturam spectat. Quando vero motus non servit ad hoc ut perficiatur, et acquirat debitam perfectionem ipsum subjectum, sed est motus rei perfectæ, ut operetur, et influat secundum modum suum, talis motus non provenit, aut convenit imperfectæ naturæ, quia potius se habet ut motus perfecti, non imperfecti, et sic cælum prius supponitur in tota sua perfectione, et complemento, tam quoad substantiam, quam quoad quantitatem, et qualitatem, et tunc movetur motu circulari perfecto, quo non movetur ad acquirendam propriam perfectionem, sed ad dandum, et influendum inferioribus: et talis motus non est imperfectæ naturæ, sed perfectæ. Similiter Angelus supponitur perfectus, et completus in esse intelligibili per species, et tales species quod possint comprehensive attingere veritatem, et in promptu habere quam volunt, et per illius comprehensionem; quod si hoc non posset acquirere nisi per motum, esset imperfectæ naturæ. Quod vero hac supposita perfectione habeat motum quantum ad successionem diversorum actuum, vel moveatur a Deo ad intelligendum, hoc non est imperfectæ naturæ, sed perfectæ, licet creatæ, et limitatæ.

XIV. Ex his solvuntur etiam fundamenta aliarum sententiarum ex Molina, Suarez et Vasquez, quæ inter referendas eorum sententias tacta sunt. Nam quod attinet ad sententiam Vasquez, non est diversa a nostra, quia illa cognitio qua attingitur unum objectum post aliud, seu in alio, ut in medio, dummodo id fiat eodem simplici lumine exten-

dente se ad diversa objecta, non autem in vi luminis illativi, quod tantum cognoscit rem aliquam in vi connexionis, et consequentiæ cum alia, non in vi comprehensionis, et penetrationis rei in se simplici intuitu, hoc non est discursus, de quo loquimur ex parte subjecti, sed ex parte objecti, vel solum ex parte successionis actuum.

XV. Ad fundamentum vero Molinæ quod non potest eadem cognitio esse intuitiva, et abstractiva respectu diversorum respondetur, hoc fundamentum debilissimum esse, licet Molinæ valde durum videatur quod eadem cognitio sit intuitiva, et abstractiva respectu diversorum, cum ipsemet Molina adducat exemplum in quo oppositum clare vincitur, scilicet in cognitione divina, et in visione beata, in quibus eadem cognitio attingit Deum intuitive ut præsentem, et res possibles quas eadem cognitione in Deo videt, ut non existentes, et abstractivæ. Similiter Angelus, intuendo essentiam suam, videt ibi, ut in effectu Deum abstractivæ, et qui intelligit speculum cum imagine, videt, seu cognoscit in illa abstractivæ rem præsentatam, et speculum intuitive quia præsens. Et hoc præsertim verum habet, si intuitivum, et abstractivum non sint perfectiones desumptæ ex diversa ratione formali cognitionis, sed sint habitudines (licet intrinsecæ, et perficientes notitiam) ad diversam terminationem objecti in se cogniti, quatenus cognoscitur res ut præsens in se, et existens physice, vel ut absens, aut non existens: sic enim eadem notitia procedens ex eadem ratione formali potest attingere ordine quodam plura objecta, et unum intuitive, aliud abstractivæ, quia illud existens, hoc ut absens, sed connexum illi.

XVI. Fundamenta Suarez quæ

etiam militant contra Scotum, etiam ex dictis soluta manent. Fere enim reducuntur ad illa duo capita jam proposita, et soluta, scilicet quando Angelus intelligit obscure aut opinative, et conjecturaliter, vel etiam falso, et erronee, aut quando intelligit supernaturalia non clare, et per proprias species, sed connotative, et prout ex naturalibus format earum cognitionem, aut per distinctas revelationes a Deo revelantur, nec in una illuminatione manifestat omnia prædicata, quæ ad aliquam res spectant. In his enim omnibus procedit Angelus de potentia ad actum, et per plures cognitiones, quia in ipsa prima imperfectione rei non penetrat quidquid ad illam pertinet, sed ex uno conjecturatur aliud: ergo procedit arguitive non semper comprehensive. Unde D. Thomas solum removet ab Angelo discursum quando perfecte intelligit, supponens, quod cum imperfecte intelligit, non repugnat ei discurrere: sic enim dicit infra q. LXXIX, art. VIII: « Angeli qui perfecte possident secundum modum suæ naturæ cognitionem intelligibilis veritatis, non habent necesse procedere de uno ad aliud, sed simpliciter, et absque discursu veritatem rerum apprehendunt. » Ergo a contrario sensu, quando non perfecte Angeli cognoscunt, videtur ponendum quod Angeli procedant de uno ad aliud atque discurrant.

XVII. Quod ergo in his casibus in quibus Angeli aut opinative seu conjecturaliter, aut circa supernaturalia obscure, et ex connotatione ad res naturales procedant per plures actus, quorum unus ex connexionem ad alterum se habet, et ex notitia unius ad alterum, quasi de potentia ad actum proceditur quod sufficit ad discursum, probatur, quia in his casibus actus qui versatur circa naturalia, seu naturaliter cognita est

evidens, actus autem circa ea quæ conjecturaliter videntur est obscurus: circa unum potest esse verus, circa alteram falsus. Similiter circa unum est naturalis, circa alterum supernaturalis, quæ non possunt simul identificari in uno actu. Ad ista autem Angelus est in potentia, quia ex propriis viribus non potest ea attingere: ergo quando movetur de uno ad alterum ut de naturali ad supernaturale, movetur de potentia ad actum, quod sufficit ad discursum, quia sic non habet totam perfectionem suam simul in primo actu in quo fundatur ratio discursus.

XVIII. Et confirmatur hoc amplius, atque explicatur, quia quando Angelus ex naturalibus attingit supernaturalia, non potest unico intuitu in naturalibus supernaturalia videre, quia res naturales non præsentant aliquid de supernaturalibus, quia non se habent positive ad illas, sed mere negative: ergo oportet quod id attingat Angelus arguitive, et deducendo unum ex alio: nam per simplicem intuitum nihil in rebus naturalibus manifestari potest de supernaturalibus, quia res naturales solum negative se habent respectu rerum supernaturalium, et in potentia obedientiali, quæ est non repugnantia ad res supernaturales: ergo non potest Angelus per unicum intuitum tales res attingere: ergo per diversos actus, quorum unus deducitur ex alio. Imo si posset unico intuitu attingere res supernaturales per similitudinem ad naturalia, non posset Angelus decipi, sicut sæpe dæmon decipitur judicando circa ista objecta: in his enim quæ unico intuitu videntur, non contingit deceptio.

Confirmatur secundo, quia in Angelis potest esse admiratio, quæ importat inquisitionem cum aliqua ignorantia de eo quod inquirimus,